

§. 2. Similiter etiam in Dalmatia, Croatia et Sclavonia, eductis primo ex Praesidiis Generalibus Capitaneis, aiiisque externis Praefectis et militibus; ratione Praefectureae omnium Confiniorum cum Serenissimo Domino Archi-Duce Ferdinando etc. concludat *) et juxta oblationem suam, Serenissima Regia Majestas, post sui coronationem, Legatos suos Graecium expeditat.

§. 3. Imo ut ipsum Banatum, sub hac praesenti Diaeta, cum vetusta sua plenaria autoritate, a Dravo usque mare Adriaticum, bene merita alicui personae conferat. **)

De militum externorum eductione: Civitatisque Segniensis penes Coronam Regni conservatione: Tum Praesidiorum quoque Sclavonicorum fortificatione.

A r t i c u l i s 12.

Milites autem Germanos et alios externos, tam ex ipsa Arce, quam etiam Civitate Varasdinensi; nec non etiam ex Muran, Diven, Köszegh, Leva et Lipche, aliisque locis (cum non sint confinia Regni) quam primum educi faciat.

§. 1. Insuper Segniam quoque Civitatem in Dalmatia existentem, ***) Majestas Sua Regia a Corona Regni minime avelli patiatur:

§. 2. Quin potius pro sua Regia et paterna providentia, in eo esse efficereque non dignetur; ut milites Confiniarii praedictorum Regnum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, uti antea semper, sic deinceps quoque, in consuetis eorum stipendiis pleno numero, per subsidia Provinciarum Styriae, Carinthiae, Carnioliae interteneantur: Et emerita quoque ipsorum stipendia hactenus insoluta, ipsis dependantur.

MATTHIAE II. IMPER. & REGIS DECR. I. ANNI 1608. ART. POST CORON.

Domino Palatino, Bano et Generali Capitaneo Cassoviensi; sic et Supremis et Vice-Comitibus, potestas datur, praedones ubique locorum capiendi et pro demerito puniendi.

A r t i c u l u s 2.

§. 7. In Sclavonia idem faciat Dominus Banus.

§. 8. Curandum autem erit, ut etiam Turcae in suis limitibus conserventur et non excurrant: Neque in villis convivia, more eorum solito exerceant, sed se pacificationi cum ipsis factae accommodent: Fiatque talium limitum certa rectificatio, tam in Ungaria, quam in Sclavonia ubique.

*) Urgetur; An. 1609. art. 27.

**) Urgetur; An. 1609. art. 28. Adde; An. 1741. art. 47. et alios ibi citt.

***) De hac vide notatu dignissimum An. 1741. a. 56.